Vt et de altera parte, ex q[ui]bus animæ pulchritudo conflatur
pauca disseram, Vid. de suavi Virtutum harmonia, quæ procul
dubio perfectissima, copiosissimaq[ue] in laudabili Virgine invenitur
quanto namq[ue] aliquid magis appropinquat primo principio,
tanto magis, et excellentiori modo participat effectus illius
principij; enimvero an non quo propius accedo ad Solem eo ma=
gis illuminari me sentio? quo propius propinquo Igni, eo
fortiorem calorem experior. Deus vero Deus erat principium
omnis gratiæ, omnium Virtutum, Maria vero illius maxime pro=
pinqua tum in Vtero, tum in mutua conversatione, tum
præcipue per innocentiam, atq[ue] integritatem vitæ, ideoq[ue]
iure merito gratia Virtutibusq[ue] plenam præ o[mni]b[us] alijs ex=
istimandam crediderim, ita q[ui]dem abundanter Vt sicut Index
totam libri materiam continet, ita B.ma V. cunctarum Virtutum
excellentias in se Vna quasi index concludebat. Virtutes
igitur in ea erant, at qualis earundem harmonia? sive
concentus? suavissimus. Decertabant inter se mutuo, non Vt
se mutuo expellerent, neq[ue] Vt truces bellatores in arena di=
gladiaturi concurrerent, sed Vt cursores ad præfixam ten=
derent metam, alteraq[ue] alteram præoccupare niteretur,
tale inquam certamen erat, talis pugna. Et quemadmodum in sua=
vi dulciq[ue] Musicorum concentu o[mn]es q[ui]dem voces perfecte consentiunt
optimeq[ue] compositis nec addi, nec demi quicquam potest, attamen inter
se opposito q[ua]si cursu passuq[ue] pugnare, decertareq[ue] videntur, dum
nim. alia Vox in altum extenso gutture elevatur, alia contrario,
et demisso ore in profundum mergitur, alia media q[ua]si via